



~~17~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII.

THRENI ET PLAVSVS
 IN FVNERE
 IYNCTO SEMISECVLARI SACRO
D. CASPARIS
LOESCHERI

QVI ANNIS L. ΕΠΙΣΚΟΠΗΝ ECCLESIAΡ.
 GESSIT

VLTRA XXX. ANNOS IN CATHEDRA
 LVTHERI DOCVIT.

NEC NON


AD CELEBERRIMAM
 ACADEMIAM VITTEMBERGENSEM
 QVAE SENIOREM ILLVM
 AMISIT

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

LVGENTIS FILII
 VALENT. ERN. LOESCHERI D.

ΤΟΤΟ ΑΓΑΘΟΤΟ ΚΑΙ ΘΑΝΟΝΤΑΟ
 ΕΤΕΡΓΕΤΕΙΝ ΔΕΙ.

A. C. clb lccc xviii.



Axo tandem & pando compressum ma-
 rore dejectumque animum, & qvod lu-
 gentibus licet, liberam nunc, nec diutius
 cohibitam, vocem emitto.

κλύπα κασίγνηται ΛΕΥΚΟΤΡΙΑΔΕΣ, ὄφρ' εὔ παῖσαι
 εἶδετ' ἀκούουσαι, ὅσ' ἐμῶ ἐνι κούδρα θυμῶ.

Ω μοι ἐγὼ πενήτιν, ὦ μοι, Πάτερ, ἢ μάλα λυγρῆς
 Ηκαστ' ἀγγελίης, ἢ μὴ ὠφελίης γενέσθαι.
 Κάται Γεννητῶν, κ' δ' ὀφθαλμῶν κέρχρ' ἀχλύς.
 Πόντις, δεξιὸς ἐγὼ, τί τι βέλομαι αἰνὰ θεῶν
 Σὺ δ' ἀπαθνηεύτ' ὦ; ὅμοι νύκτας τι καὶ ἡμᾶρ
 Εὐχολὴ κατὰ ἄστυ πελήσοιο, πᾶσι τ' ὄνεαρ.

Enimvero benemeritum de cœtu JESU CHRISTI, de divinis
 humanisque literis, de Academia & Lutheri cathedra, denique,
 ut privata liceat apponere publicis, de me sigillatim optime me-
 ritum Patremamisi, & cum carissimis Fratribus atque Sororibus
 communem, quam fecimus, venerabilis ac suavissimi capitis ja-
 cturam desseo. Haud igitur ægre laturam reor Almam Matrem
 meorumque altricem studiorum, VITTEMBERGAM, quod
 iterato luctu damnoque prostratus, & Patre nunc ac Matre orbis,
 ad illam, tanquam mei hujus dispendii proximam testem, inops
 consilii & gemens confugiam, inque ejus sinu, qui me pluribus
 olim annis discentem, ac docentem postea, fovit, deteris non nihil
 lacrumis conqviescam. Feret illa etiam, ut indulgens est ac æqvif-
 sima genitrix, vocantem in doloris consortium, & honorifica ist-
 hac societate mœroris mei insultus lenientem. Solet Academia,
 veteri ac memorabili instituto, Seniores, quos vocat, suos, hoc
 est

est eos ex Doctorum grege, qui ceteros omnes, emensis intra suos cancellos ornata Cathedra annis, superant, tum aliis honorum signis, tum magnifico præsertim funere cohonestare, eorumque exuvias in illo condere Templo, quod immortales Septemviros, tanta Scholæ Conditores, cum divo Heroe Luthero, & magno Germaniæ præceptore Philippo, summa cum sui & Urbis gloria complectitur. NOSTER, quem gemitu & desiderii insequor, non Theologici saltem Ordinis per plurimos annos Presbyter & antistes fuit, & aliquot celeberrimis Viris, se junioribus superstes, ut renatum quasi & renovatum hoc Collegium bis viderit; sed Professores tandem omnes tum vitæ annis antecit, tum muneris inter ipsos administrati. Etsi vero, ut iusserat, in veteri Civitatis Templo, quod docendo amplius triginta annis repleverat, corpus Senioris recondatur; spero tamen haud minus frequens & insignis futurum *id Mæo vivo* funus, quam eorum, quos in ista venerabilis Senii dignitate habuit antecessores.

Mihi autem, (concedantur quæso miteris hæ naniæ) etsi crudum non acciderit & præmaturum Parentis funus, qui LXXXII ætatis annos vivendo explevit, durum tamen & lacrumabile omnino multis de causis, & nondum sane illud metuenti, evenit.

*Non nova componit dubius mendacia ru-
mor,*

*Qui tulit ex sanguinem sæpius ante metum.
Vera nimis fama est, vera jam credite fa-
ma;*

*Heu mihi quod seram non habet illa fidem.
Cominus atratam video procedere pompam,
Qua mixtus Patrem desleo & ipse meum.*

Sane a carissimæ Matris excessu, cum prostratus luctu Patris animus languenti corpusculo non levamini sed oneri esset, hoc autem ita fatisceret, ut colligendis amborum viribus exigua spes superesset, & metu ebamus omnes celerem vitæ exitum, & tristes postea nuntii absentem me sæpius conturbant. Sed restaurata, prout in senio poterat, hoc anno Parentis valetudo, reversusque paulatim animi vigor collapsas prope spes nostras ita refecit, ut de superato isto casu jam inter nos invicem fratres gratularemur, sublimi-

oremque inter Theologos *μακαρίους* illi locum sponderemus. At vero postrema hæc eheu! fuit intermoritura: facis lucula, brevique non expectantem consternavit me triste nuntium, & properare, qua possem, iussit, ut ultimum caritatis officium morienti exhiberem. Et festinandum omnino fuit, vivum ut illum conspicerem: nec diffiteor, aliquo inter singultos & lacrumas nostras mihi fuisse solatio, quod expiranti piam animam precum ministerio adstiterim, hauscrimque postremum ejus spiritum, & paternas, dum teperent, manus complexus fuerim.

Non ego hic in laudes Patris me diffundam, quas alii forsitan esfabuntur decentius, ubi gnatum filere convenit, aut parcius saltem & pauca eloqui. Hoc tamen, (ringantur ut ilia Momo) dicendum est, inter divina benedictionis characteres, quibus Vittembergam, illam sapientia primariam sedem, Deus exornavit, tam prolixam quoque *τὴ μακαρίου* vitam, censendam esse, & senem, ut Ebraeorum dicto utar, bonum in hac Veritatis domo signum extitisse. Nemo enim illi præcipuas in Theologo virtutes, sincerum sanæ doctrinæ & salutis publicæ, qua Ecclesiam respicit, studium, contentionem in docendo, amorem honorum, denique morum & vitæ innocentiam, citra justitiæ & veritatis læsionem denegaverit. Erat ille, erat profecto *ἀνταξιόμυθος τὸ πρὸς τὴν διδασχὴν πρὸς λόγῳ, τίμια ἔχειν πρὸς, φιλακαχίης, ἐγκρατῆς*, nec ceteras Episcopi laudes, Paulino catalogo traditas, deserbat. O te vero felicem, imo ter felicem, Venerabilis Mater, Academia, quæ præ cunctis prope aliis bonarum literarum mercatibus, in omni doctrinarum genere Viros veri rectique tenaces nata es & sinu tuo fovisti. Servet Tibi rerum arbiter Deus O.M. in hac sentina temporum sincerum illud & exquisitissimum servatæ Ecclesiæ, juris & rectarum notionum decus, neque castimoniam Ordinum, qui Te ornant, contagio vani & effrenis hujus seculi, aut studio placendi potentioribus, interverti patiatur. Habes Theologos vere Theologos, gnaros malorum, quæ nos circumvallant, & prope opprimunt, depugnantes pro salutari deposito & de remediis malorum vere sollicitos, multasque præterea alias & solidas laudes complexos. Admites, spero, cordatam alumni olim tui vocem:

- - *Felices, sua si bona norint*

Leucoreos! Dabit sanæ hæc ætas, & magno numero dabit, doctores ad præsentem genium compositos, ambidextros, Placentiæ, non Veronæ cives, factos præterea, vel ad ostentationem profanæ politicæque prudentiæ, vel ad pietatis fucatæ & subdola speciem, denique potentiorum aut plurium vocibus per omnia obse-

quen-

quentes. Tales, a quorum labe immunis haecenus & insons stetit, a tuis porro congressibus abesse Deus longum jubeat, praeterque sui Spiritus ductu, ut grato omnes animo beneficium servatae sanioris doctrinae agnoscant, neque scommatum imber, quo *γρησας* orthodoxi & Lutheri Cathedra (nam in convitium proli dolor honestissima nomina jamdum abierunt) passim obruantur, aut turbo malefactorum *λοσσοδαδελων*, quonquam Tuorum in transversum rapiat, odiumque vel contentum Theologorum progignat, ac iusta optime meritis Viris suspiria extundat. Habent enim spreta & iniquius tractata Dei beneficia proximum & impendio severum vindicem, quem excitatum nulla profecto hecatombae sedaverint. Idem rerum omnium itator Academiae semper largiatur Juris sacerdotibus justis pertinaces, qui Hobbiano turbine non abripiantur, aut Caesaropapiam, Pandoram illam nostrorum hominum, deosculentur: Tribuat illi Medicos recti moris, & ab illa, quae in proverbium abiit, *ψευδονομια* Medici religione alienos: Artium denique & disciplinarum ceterarum Doctores eos semper concedat, qui recta & utilia suis praerceptionibus fulciant, & a subdolis laerisque in speciem doctrinis, prurituque ingeniorum discipulos averant. Linqvantur aliis nocivae hujus seculi cupidiae, satyricae exagitationes, frigidi in arduis rebus joci: Aliter omnino se gerant almae Matris alumni, & veterem ejus famam firment potius, ac locupletent: imo recogitent semper, natam quasi cum Evangelio & rectis Ecclesiae nostrae institutis hanc Academiam, & cum illis succrevisse protinus ac incrementa cepisse.

Christe, tua pariter, pariter virtute Parentis,

Omnipotens vivo numine Christe Deus.

Mitis ades miseris, duro succurre labori,

Et dubiae praesens dirige navis iter.

Funestis odiis obnoxia pectora flecte,

Atque salutaris fac bona pacis ament.

Leucorin ala tui cingat foveatque favoris,

Stetque suis semper non violata bonis.

Sed revertor ad optimum Parentem, qui talibus saepe precibus Ecclesiae pariter & Academiae salutem Deo commendabat, & filios ad officii hujus societatem exhortabatur. Pensavit vero hanc pietatem divina providentia, promissa bonis longae vitate, ac fecit ut non solum Ecclesia nostratis magnum seculare Sacrum, et si languido corpore, spiritu tamen & fide in Deum ovans, quod se visurum sperare vix potuerat, celebraret, verum etiam *Jubileum*, quem vo-

cant,

cant, *Ecclesiastici Ministerii annum* attingeret. Illud vero semper in extantibus Dei beneficiis positum fuisse, ac Doctores, qui annos quinque & sexaginta in publicis muneribus explerunt, honorifico nomine *Semiseculares dictos*, recordamur: Quorum memoriam Cl. Blumius & alii singularibus schedis renovarunt. His Parentem addi posse constat, cum L. abhinc annis munus Superintendentis Ecclesiastici Sondershusæ in Cheruscorum finibus adierit, rarissimoque sic exemplo per mediam seculi partem Inspectoris dignitatem, auctam deinceps suis ornamentis, gesserit. Accedit, quod non XVII. vel XVIII. ætatis anno, quod J. Brentio & J. Andrea contigit, nec XX. quod D. Zach. Rivandro, aut XXI. quod D. Jo. Frid. Mayero, ad munus Ecclesiasticum vocatus sit, sed annos jamjam natus XXXIII. adeoque inter eos, qui serius optantur, ut tamen protracto vitæ cursu ad primorum ordinem Dei beneficio pervenerit. Me vero, intentum sane in lætitiis Secularis hujus Theologici, & carmina atque plausus Patri parantem, temporum cursus deseruit, & júbila cum ejulatu infeliciter commutavit. Sane si frui his feriis, si in laudis divinæ beneficentiæ vivo illo & vegeto excurrere mihi licuisset, vel ex isthoc signo, quæ plurima Deus O.M. in me immerentem contulit, largam ejus gratiam agnovissem, & de restauranda nostratis fortuna Ecclesiæ, propius quasi sperassem. Cui, ereptis Semonibus, expertisque & providentibus Palinuris, in ipsa præsertim ventorum ac undarum colluctatione, metuendum omnino ac de salute circumspiciendum est.

*Nescio quos timeo præsago corde tumultus,
Fracta procelloso gurgite cymba natat.
Exsuperomittat placidam Deus æthere pacem,
Tuteturque suum gratia diagregem.*

Imo, quod ad meas attinet reculas, tuum supplex consilium, ð supreme Rector, agnosco & veneror, qui medios inter luctus superiori anno celebrare me magnum illud sanctæ Reformationis Bisseculare Sacrum voluisti, quod Matris obitus prope eodem spatio antecessit, quo Patris funus illud est infecutum. Agnosco Tuam, *si nãvãzãt*, voluntatem, quæ in me etiam jubes quadrare salutare illud Apostoli dictum: *ac atnotmentoi aei de xaipontec*. Acquiescam igitur in Tuo nutu, qui per multos annos altorem vitæque ducem mihi concessisti, nunc autem, vivendo exfatiatum, ad tuum adspæctum & æterna gaudia jubes reverti. Solatur vero & meum

meum animum recte gestorum a Parente satis functo memoria, & occupata ab eodem Christi beneficio perennis gloriæ inenarrabilis felicitas. In cuius contemplatione defixus animus, prope rapitur extra se, & beatam ejus conditionem admirabundus sane contuetur.

Multam ego Albiacis pratis assurgere lucem
Conspexi, & longo per cælum albescere tractu.
Expectabam animi dubius, quid signa mone-
rent.

Nec mora, sidereus pictis exercitus alis,
Cælestes forma pueri toto æthere visi,
Impositi Zephyris liquidas volitare per auras.
Tum cœtu in medio PATREM super astra
volantem
Vidimus, insignem radiis & luce coruscum.

Non tamen, ut illi æternum bene esse scio credoqve, dolor me idcirco & amissi Genitoris desiderium protinus deferet: sæpe porius & cum genitu accepta a Beato amoris signa & beneficia animo repetam. Tibi vero, ô prope sola mihi nunc superstes Alma Mater, Academia, quæ canum capitis ornamentum perdidisti, neque omnino sine aliquo doloris signo iusta illi facies, complecti in hoc luctu, atqve, dum prosperam jacturæ hujus reparationem tibi apprecor, Homericò isthoc adfari liceat:

Σὺ γὰρ μοι ἄσπον τῆς: μινυθῆ παρ' ἀμφιβάλλου
Ἀλλήλοισ, ἑλοεῖο πταεπώμεθα γόουο.

Requiescunt jam penes Te Caritarum mearum coronæ; quamobrem, vel his pignoribus, amore ac studio continenti atqve præcipuo oblitum me tibi mansurum, plenissime credas.

At Tu, Carissimum Caput, inter Cælites demum mihi revidendum, frui immortalibus & omne ingenium hominis superantibus bonis. Nos inter fluxa & fallacia repentes, difficilem trahimus spiritum, & cum temporum inclementia, hominumqve infidis & euntibus quotidie in pestum moribus collectamur.

*Te captant super ælessaidum domus,
Mactum perpete gloria,
Lætum ducis ubi splendidus otium,
Christo proximus, & sacro*

Per-

*Permixtus numero nil metuentium.
Hic quæsitâ laboribus
Multis, nuda suis se tibi Veritas
Demum e nubibus explicat:
Et de fonte suo clarior adspici,
Cælestis Sapientia
Quam sic doctus eras, jam tibi Lux patet.
Hic dum pars melior tui
Regnat deposito libera pondere,
Ridere innumisabilem
Vitæ stultitiam fortis, acerbaque
Nostrorum penitus pati
Merorum indocilis: Cur ego te gravi
Deplorem querimonia
Humanasque vices? Ah! potius paris
Vitæ conditionibus
Tecum vivere amem, & sustineam mori.*

DRESDAE, formis HARPETRINIS.



Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A

W 17
W 18



THRENI ET PLAVSVS
 IN FVNERE
 JVNCTO SEMISECVLARI SACRO
D. CASPARIS
LOESCHERI

QVI ANNIS L. ΕΠΙΣΚΟΠΗΝ ECCLESIAΡ.
 GESSIT

VLTRA XXX. ANNOS IN CATHEDRA
 LVTHERI DOCVIT.

NEC NON

AD CELEBERRIMAM
 ACADEMIAM VITTEMBERGENSEM
 QVAE SENIOREM ILLVM

AMISIT

ΠΡΟΣΕΩΝΗΣΙΣ

LVGENTIS FILII

VALENT. ERN. LOESCHERI D.

ΤΟΤΟ ΑΓΑΘΟΤ ΚΑΙ ΘΑΝΟΝΤΑΤ
 ΕΤΕΡΓΕΤΕΙΝ ΔΕΙ.

A. C. clb lccc xviii.

